



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **DOMINUS MEUS ET DEUS MEUS*** BEATARUM
TRIBUUNTUR CAELITUM HONORES VENERABILIBUS
DEI FAMULABUS IOSEPHAE A SANCTO IOANNE DE DEO RUANO GARCÍA
NEC NON MARIAE DOLOROSAE A SANCTA EULALIA PUIG BONANY Ad perpetuam rei memoriam. — « Dominus
meus et Deus meus » (*Io* 20. 38). Fidei testificatio haec, qua divinitatem Christi agnovit Sanctus Apostolus Thomas tum
illius etiam dominationem, amoris quidem designat actum qui totam sui ipsius importat deditioem, ad effusum usque si
necessere est sanguinem. Venerabiles pariter Dei Servae Iosepha a Sancto Ioanne de Deo Ruano García ac Maria
Dolorosa a Sancta Eulalia Puig Bonany vixere destinatae ad Christum maiore libertate sectandum propiusque imitandum
et redditae sic animosae ipsa illa conscientia atque cognitione: supremum in martyrio contineri amoris erga Eum et
Ecclesiam testimonium. Ad Congregationem pertinebant Sororum Parvarum Senum Derelictorum opusque suum
explebant apud hospitium pro senibus in loco Requena provinciae Valentiae. Quamquam antea iam eruperat religiosa
vexatio, ministerium tamen adiutorii tam animorum quam corporum humili fortique affectu persequebantur pro hominibus
maxime desertis in quibus nempe vultum contuebantur refulgentem Christi. Die nono Iulii mensis anno MDCCCLIV nata
Soror Iosepha a Sancto Ioanne de Deo Ruano García est in oppido *Berja* intra archidioecesis Granatensis fines.
Congruenter illa instructa doctrinis ac moribus vota pronuntiavit temporaria anno MDCCCLXXX ac perpetua post quinque
annos. Amantissime suscepit senum curationem hospitum illo in instituto ubi versabatur atque permagnam semper
exhibuit adversus Sorores suas religiosas bonitatem. Ante mortem etiam Antistita fuit ipsa Domus Requenanae
nominata. Orta autem est Soror Maria Dolorosa a Sancta Eulalia Puig Bonany die xn Iunii mensis anno MDCCCLVII apud
Bergam dioecesis Celsonensis. Nuncupavit temporalia vota anno MDCCCLXXXIX ac perpetua anno MDCCCXCII.
Munus studiose ostiariae absolvebat animique eminebat simplicitate ac prompta aliis serviendi voluntate. Exardescente
intestino bello communitatis Requenanae sorores coactae sunt a minantibus ipsis rebellibus ut habitum exuerent
religiosum, civilem induerent. Venerabiles hae Dei Servae suam novissimae deseruerunt Domum una cum iuniore
Sorore Gregoria a Sanctis Innocentibus Pérez Mateo. Cum essent ipsae die VII mensis Septembris anno MCMXXXVI uti
religiosae sodales agnitae, prope ferriviae stationem Requenae sunt a militibus comprehensae, in animo confugere
habentes tutiorem in locum, atque in valetudinarium tamquam carcerem coniectae. Eadem vero nocte illa aliquanto
longius ab urbe Requena translatae, postridie mane apud urbem *Buñol* sunt interemptae. Maxima cum mentis
tranquillitate binae interierunt Venerabiles Dei Famulae Dominum ex fide sua invocantes suisque carnificibus propriam
condonantes mortem. At Soror Gregoria a Sanctis Innocentibus Pérez Mateo una detinebatur cum illis graviterque dein
vulnerata evadere aegre salva potuit ac fieri propterea magnae auctoritatis et fiduciae testis de suarum martyrio
Sororum. Augescente exin sine intermissione ipsius martyrii opinione, anno MCML-XXXXV Praesul Valentinus
beatificationis causam instituit sive declarationis martyrii. Cunctis itaque ex iure normis completis, Nobis coram ipsis
decretum prodiit super martyrio die XVIII mensis Decembris anno MM eum inter alia decrevimus aequabiliter ut

beatificationis ritus Romae perageretur die XI Martii mensis anno MMI, additis eodem ceteris Dei Servis Iosepho Aparicio Sanz et aliis fidei testibus, qui eadem furente in Ecclesiam odii plenissima adgressione interciderunt. Hoc proinde die ipso laetantes summopere Nos ante Populi Dei atque Cleri Catholici concursum frequentissimum hanc iuvit venerabundo animo proferre beatificationis formulam: Nos, vota Fratrum Nostrorum Augustini García-Gasco Vicente, Archiepiscopi Valentini, Richardi Mariae Cardinalis Carles Gordó, Archiepiscopi Barcinonensis, et Francisci Ciuraneta Aymí, Episcopi Ilerdensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Iosephus Aparicio Sanz et ducenti triginta duo Socii Beatorum nomine in posterum appellantur, eorumque festum die vicesima secunda Septembris, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Has praeterea edi iussimus Litteras eadem super iucundissima re quas in posterum omne tempus vim suam habere et exserere nimirum volumus, contrariis quibuslibet causis rebusve haudquaquam obsistentibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undecimo mensis Martii, anno Domini bis millesimo et primo, Pontificatus Nostri vicesimo tertio. De mandato Summi Pontificis*

ANGELUS card.

SODANO

*A.A.S., vol. XCIV (2002), n. 2, pp. 103-105 © Copyright 2001 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana